



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Honor quibus exhiberi soleat; & quibus conveniat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis? S. Greg. p. 1. pastor. c. 9.

Manus elevatæ pallefcunt: multi ad honores elevati perdunt sanguinem, vigorem pietatis &c. Berengarius in Similitudinib.

Aquila testudinem elevans. Lem: *Elevat, ut elidat.* Quidquid in altum fortuna tulit, ruitura levat, Seneca in Agamemn. Act. 1. Picinelli.

Auræ compedes pedibus injectæ. Lem: *Auræ licet illia, stringens. Honor splendens.* S. Ambrosius Bovius. Mallei in mola sublatis. Lem: *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Bovius.

Testimonia Patrum.

Quantò plus honoramus, tantò plus periclitamur. S. Aug. in Pf. 106.

Honores hujus Sæculi quid sunt? nisi risus, & inanitas, & ruinæ periculum. Id. l. de catech. rud. c. 16.

Quantò major honor, tantò majora pericula: alta enim arbor ventis fortius agitur. S. Isidorus Syn. l. 2. c. 17.

Plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora. Lactantius l. 7. de div. præmio.

Tertium.

Exempla honores fugientium.

Cui soror pueri &c. Ex. 2. 7. Cùm Pharao, pueri venustatem miratus, coronam suam capiti ejus imponeret, puer coronam projecit in terram, & fregit. Hugo Card. hic.

Expoliavi me tui à m a. Cant. 5. 3. Tunicâ suâ Sponsa se expoliavit: quia omnia exteriora, quibus honorabatur, & onerabatur, abiecit. S. Greg. hic.

Flevit. Luc. 19. 41. Si quis Prælatorum in pompis puerili, & vanâ, exultatione delectetur; si ad honores raducos gloriabundus exhilarescat; si de se faciat idolum, & statuam Nabucho donosor; exhorrescat potiùs instar Christi, qui summos inter honores flevit: dum scilicet inter plausus die Palmarum ingressus Jerusalem. Gerfon. f. de Circumcis. D.

Motiva alia honores spernendi.

Descendis de camelo. tollens cirò pallium, operuit se. Gen. 24. 64. 65. Anima Christiana, si videris sponsum tuum Isaac ire peditem; debes tu, ad imitationem Rebecæ, te ipsum operire chlamy de: eò quòd pudere te debeat, videre Jesum Christum in ignominia, & te in alto hujus Mundi honoris camelo constitutam. Stella p. 1. c. 3.

Hec dicit primus, & novissimus. Apoc. 2. 8. Rupertus hic: ille, cùm apud Deum esset primus, & pretiosus; secundùm alteram naturam Filius Dei, secundùm alteram Filius intermeratæ Virginis; cùm, inquam, sic esset, primus, & optimus; apud homines fuit novissimus, id est, vilissimus. Quid ergo magnum?

si tu ò homo, & non Deus, de tuo honore quantumcunq; propter illum es dejectus.

Qui honoribus delectatur, aspiciat Dominum gloriæ, & regem regum, vilissimum, & omnino abjectum. Vilis est pars illa, & abjicienda, quæ, capite dejecto, videri appetat gloriosa. Confundatur, vilipendatur, abjiciatur humana superbia; quando sic est humiliata majestas divina. Qui divitijs sublimatur, aspiciat, Mundi Dominum esse pauperimum, & egenum. Quis unquam ita pauper, ut Dominus; ut cunam ad solatium non haberet. S. Bonavent. l. 11. de tempore.

Pecunias quidem facilè quisq; contemneret, dum id instituerit: porro honoris esse negligentem, laudemq; non affectare multorum, maximo labore indiget. Magnæ philosophiæ, & animæ cujusdam Angelicæ, & quæ ipsum veritatem cardinis cœlestis attingit, certum argumentum Sancti Chrysostomi in ep. ad Tit. cap. 1. hom. 2.

Utinam nulla sit princeps dignitas, nulla prærogativa loci, nullum privilegium tyrannicum; quò ex virtute sola cognosceremur. Nunc autem illud, & finistrum, & medium, & sublimius, & inferius, & præitio, & par incessio; multas nobis, citra fructum ullum, collisiones pepererunt, multos in foveam præcipitarunt, & ad hircos aggregarunt; non solum inferioris sortis homines, sed etiam pastores; qui, cùm Israelitarum Magistris sint, hæc ignorarunt. S. Greg. Naz. or. 13.

Homo, natus ad laborem, non ad honorem. S. Bern. l. 2. de considerat.

Honores tituli, nomina, gradus, & dignitates, ad instar croci sunt; tunc melius crescentis, & lætius provenientis; scùm pedibus conculcantur. S. Franc. alef. c. 5.

Eventit fortè, ut, in frequentissimo congressu duarum nobilissimæ fœminæ convenirent, & de digniore loco contenderent! utraq; alteram præcedere nitebatur; rem ad Imp. Carolum V. deferendam clamant: qui, re examinata, sic discernit: præcedat semper, quæ de duabus stultior est. Cùmque nulla stultior videri vellet, deseruit lis. Alvarez Illustr. 95.

§. II.

Honor quibus exhiberi solet, & quibus conveniat.

Rachel autem, & Joseph novissimos. Gen. 33. 2. tanquam prædilectos, & principales, ait Lyra. Abul: fortè ille ordo fiebat licet ut monstraretur Esau prudentiâ Jacob, ponentis in principio ea, quæ minus honoranda videbantur. Magis honoratur, qui plus diligitur. Alvarez Illustr. 16.

Cumq; adnissent eum fratres sui. Gen. 42. 6. En, quem fratrem despexerant, dominum adorant quærentes alimenta. Cùm se nullatenus fratre egere putabant, limis aspiciebant; alii verò, cùm ab arbitrio ejus pendent, venerabundè suspiciunt. Non tam animus adoravit, quam indigentia. Ecce revera, quomodo manipuli eorum

rum manipulum ejus adorant; dum non ob aliud ignotum sibi principem Ægypti adorant; nisi quia defecerant manipuli eorum: ille autem de manipulis plenum habebat horreum. Naxera in Jof. 9. §. 7.

Videns Jesum à longè cucurrit, & adoravit. Marci 5. 6. Cur modò prostratus aderat dæmon, qui in deserto superbus adorari volebat? S. Chrysol. f. 17. quid est, diabole? quem trinâ tentatione provocabas ad lapsum; quem promissione regni, ut te adoraret, subdolos ambiebas; nunc tremens, ac miserandus, prolaberis, & adoras? Agnoscent, agnoscent Deum, judicem confitentur; clamant, se judicium debere. Ad potentis timent conspectum; adorant modò judicem, quem paulò antè despexerunt jejunum. Naxera in Jof. 9. §. 7.

Mulier, quid ploras? quem quaris? Domine, si tu sustulisti eum, dicens mihi &c. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei Rabboni, quod dicitur Magister. Joan 20. 15. 16. Antè hortulanum dominum vocans, Dominum modò Magistrum appellat. S. Aug. in Catena: nemo calumniatur mulieri, quòd hortulanum dixerit dominum, & Jesum magistrum: ibi enim rogabat, hic agnoscebat.

Imago lignea terreni regis honoratur; quanto magis rationalis imago Dei? S. Cyrill. Jerof. Catech. 12.

○ Suum cuilibet honorem impendas. Quid enim honor aliud, quàm unicus actus omnium virtutum. Hic enim est prudentia, cum attenditur, cui, quando, ubi, quomodo, tribuatur. Justitia verò, cum non justò minus impenditur: magnanimitas, cum non debitò amplius datur: temperantia, cum modestè defertur. Nam extra modum honorare, illudere est. S. Cyrill. Jerof. Apol. mor. l. 1. c. 18.

Novò modò opimi, ac pessimi, viri nusquam ferè minus discrimen est, quàm in honore. Sanct. Euchèrius ep. parænet. ad Valerianum.

Nec Christus præfecit Andream, qui primò pervenit ad Christi notitiam; sed Petrum, quem præinsignem agnovit: quia non est de ordine veræ justitiæ, ut magis præferatur prioritati temporis, quàm dignitati virtutis. Sim. Cass. de justit. Christ. l. 15. c. 4.

Sicut qui mortuos efferunt, videntur quidem illos honoribus afficere, suffitu incensò, cereorum accensione; sed, quod intendunt, est, iò sepulchrum cadaver conjicere. *Sepulchrum patens est guttur eorum. Liguus suis dolosè agebant.* Octavianus in Eccl. 7.

§. III.

Honores non mutant mores.

Exemplum Christi.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Dominus in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat; sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat. Ubi etiam *Mosès, & Elias, cum eo loquentes*; alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in imagine veritate, nondum defunctæ; eandem tamen habitudinem corporis etiam in gloria perseverare docuerunt. Tertull. de resurr. carnis.

Homo peregrè proficiscens. Matth. 25. 14. Cur hic solum vocatur homo, cum Matth. 20. 1. dicatur *homo paterfamilias*? & *Rex* Matth. 22. 2. maxime cum dicat S. Hieron. homo iste haud dubium, quin Christus sit; qui ad Patrem post resurrectionem victor ascendens vocatis Apostolis doctrinam Evangelicam tradidit. Resp. est etiam in gloria memor humilitatis. Sylveira hic.

Cum veneris Filius hominis in majestate sua. Matth. 25. 31. Mirare Regis Jesu indolem. Minabatur se in judicium severum judicem venturum. quid tunc? ecce dies venit, tribunal apparet, & rei circumstant: & ille sicut pastor segregat oves ab hædis. Sicut pastor ait: in ipsius justitiæ acie se meminit pastorem, & pastorem agit. Bæza t. 3. l. 13. c. 3. §. 4.

Quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis &c. Matth. 25. 40. Quid ais? si fratres tui sunt, quomodo minimos appellas? imò verò ideò fratres, quia humiles, quia pauperes, & abjecti: hos enim maxime ad fraternitatem convocat suam; quia ignoti, & despiciabiles sunt. S. Chrysol. hom. 80. Homo, si ex humili generatur, & Deò præstante, ascendit ad aliquam dignitatem; erubescit generationem suam audire. Et Christus adhuc gloriatur fratres suos dicendo, sedens in Majestate; quia veniens in judicio gloriæ non mutabit voluntatem priorem. Author Imp. op. hom. 50.

Ne, nuntiate fratribus meis. Matth. 28. 10. O confusionem humanæ superbiæ! Jesus effectus immortalis; accepta omni potestate in caelo, & in terra, servos suos, eosque piscatores; quos olim humilis vocat amicos, modò appellat fratres. Et nos elevati ad superiorem gradum, quos prius habebamus fratres, dedignamur habere amicos. Cajetanus hic. O insolita clementia Principis! qui post victoriam de ligno, de tumulo, de tartarea lege, reportatam, appellat fratres. Sanct. Bernardinus t. 2. f. 58. de Resurr.

Faciet illos discumbere. Luc. 12. 37. Discumbenti homini Deus adstat, & adstat in caelestibus epulanti. Servo servit Dominus, & servit accinctus. Pueris suis, & ministris suis, ministerium facit Christus; & facit in Patris gloria constitutus. S. Chrysol. f. 24. Qui tibi in terra, lavando pedes, extremum representavit obsequium; & repromittit in caelestibus extremam servitutem, Id. ib.

Tran-

